

## Alte Drucke

**STVDENTES,|| COMOEDIA || DE VITA STVDIO=||sorum, iterum  
in lucem edita, & in || multis locis correcta, authore || M.  
Cristophoro || Stymmelio F.|| ...**

**Stummel, Christoph**

**Frankfurt/Oder, 1554**

**VD16 S 9843**

EPILOGVS A CHRISTOPHORO CORnero additus.

---

### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

**urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149326**

STVDEN. COMOE.

CHORVS QVINTVS:

Stagnans uelicoli maris  
Præsentēs hominū reddit imagines,  
Quando carceribus domat  
Fratres nymbi feros Hippotades ferus.  
Sic Comœdia splendida  
Emendat uitium, detegit & malos  
Mores, edocet optimos,  
Vt uitam instituas in melius, monens.

EPILOGVS

CHRISTOPHORO COR.

nero additus.

**F**elicitatem uobis maximam precor,  
Qui fabulam hanc spectastis, quæ pulchrè  
docet,  
Quibus sint præditi studijs & moribus  
Iuuenes, bonas qui tractant literas, licet  
Id non agant simili cura atq; industria.  
Sed scire uultis quid sit, & admiramini,  
Quod cernitis me quoq; nunc prodire iuuenem;  
Et has agendi partes sumere ultimas,  
At cur ego huc ueniam non multis eloquar;  
Detis mihi saltem pauca dicendi locum.

Hæc

# EPILOGVS.

Hæc namq; dicam, uestris quæ sunt moribus  
Voluntatiq; non inconuenientia.  
Vester facit candor probitasq; maxima,  
Atq; animus illius, qui ludos hos facit,  
Poëticum ut chorum uestre custodiæ  
Meis quibus possim commendem uerbulis.  
Comædiæ quoq; dicam quàm sint utiles  
Et hæc recens quid spectet fabula,  
Sed gratias uobis habemus plurimas,  
Ad scenicum hoc quod uenistis spectaculum.  
Requirat hoc uestra bonitas & æquitas,  
Vt faciatis studium nostrum hoc æqui & boni,  
Honoris quod uestri causa suscepimus.  
Nam quo magis bonas amatis literas,  
Hoc mage studete iam nouis laboribus.  
Quapropter auditores ô clarissimi,  
Rogamus omnes, pro uestra sapientia,  
Et singulari uirtutis præstantia,  
Seruate Musas hoc tam misero seculo,  
Easq; defendite, quæ nil auxiliij habent.  
Videtis enim quot osores nunc perferant,  
Quorum furor ut per totum mundum seuiat  
In hos, quibus fauent Musæ castissimæ.  
Quis negligit nunc contemnere sanctas literas?  
Quibus reguntur orbes mundi nobiles?  
Quis est cui non placeret potius barbaras

## EPILOGVS.

Gentes & audaces sequi, quàm literas?  
 Quos non mali rudesq; patronos habent?  
 At nos miseri, qui summas res amplectimur,  
 Et qui uitæ studemus innocentie,  
 Contemnimur, negligimur fermè ab omnibus.  
 Vos ergo nos omnes amate benigniter,  
 Et facite ut studium hoc nostrum semper floreat.  
 Hoc uestra requirit dignitas & gloria,  
 At tu iuuentus literis dedita sacris,  
 Chori Musarum nobilis docta assecla,  
 Comædias ama, sequere, admirareq;  
 Audi, doce, fac, age, laudeq; multa uehe.  
 Hoc etenim qui facit uidere dicitur,  
 Humana uita quàm sit multis obruta  
 Molestijs, crucibus, miserisq; casibus,  
 Incertus ut casus regat propè omnia.  
 Sunt etenim speculum uitæ huius Comædiæ  
 Quæ imitantur & referunt mortalium omnium  
 Conditiones, mores, studium & uitæ modum.  
 Errata singulorum tangunt, uitæq;  
 Et quemlibet monent suo de munere.  
 Si quid sequi uelis, sequendum quod putes,  
 Vitare si quid, huc peto mentem dirige.  
 Si nescis ætatis florem quid deceat, aut  
 Si scire uis, quid agat senum prudentia,  
 Dolus famulorum quàn sit multus & fauer,

Mere

# EPILOGVS.

Meretricum quanta sit techna & fallatia,  
 Imaginem uides horum in Comœdijs,  
 Quas elegantia præstans Terentius.  
 Et salibus gaudens Plautus edidit ictus.  
 At cerne quid fiat nostro nunc tempore,  
 Quo non minus uigent bonæ res quàm antea,  
 Quo iuuenis elegans datus Poëtice  
 Prophanis non tantum studet Comœdijs,  
 Sed & sacras historias ludens edocet,  
 Ac scenicis soccis uult reddere optimos  
 Viros, & ad pietatis studium adducere.  
 Quod & noster nouus Comicus hic præstitit,  
 Rem non nouam sed ætate hac ualde utilem,  
 Cum dulci spectandam dedit spectaculo.  
 Videtis istos iuuenes hoc in circulo,  
 Illis & adiunctos parentes optimos.  
 Qui cum uellent eos summam operam literis  
 Nauare dulcibus, inde & quoq; fieri bonos,  
 Mittunt ad literatos & celebres uiros,  
 Nec maximis quidem parcentes sumptibus.  
 Ipsi sed partim susceptam ingressi uiam,  
 Ad quam uolunt metam ueniunt fœliciter,  
 Et doctiores facti laude maxima  
 Domum patris repetunt, ut Philomathes probus.  
 Acolastus autem & Acrates nummis datis,  
 Parentibus fucum faciunt mirabilem,

# EPILOGVS.

Præ se ferentes studioſorum nomina,  
 Sed interim ſe dant heu turpi luxui,  
 Et nil minus bonas quàm curant literas,  
 Ludis ſtudent, turpes atq; colunt ſæminas,  
 Perdunt dies in poculis & ocio.  
 Nomina faciunt æreſq; multo grauant ſuos.  
 Tandem domum redeunt nulla arte præditi,  
 Et ſunt ſuis grauis crux & moleſtia.  
 Sed nos ſciamus quæ ſit noſtra functio  
 Cui Deus pater præfecit ſingulos,  
 Curemus ipſam ſtudio & maxima fide,  
 Nil hæſitantes quin Deus ter optimus,  
 Noſtros ſit adiuturus conatus ita,  
 Vt ſc receperit facturum ſedulò.  
 Sed hæc boni conſulite quæ dixi modò.  
 Nam Muſicus nunc aliò ducitur chorus,  
 Vos interim ſimul ualete & plaudite.

# FINIS.